

Letter 502: 19 March 1533, Basel, Oswald Myconius to Capito

The manuscript of this letter is in Zurich ZB ms. F 81, pp. 327–8.

S. Lutheri venena, quam causam habeant, videmur olfacere. Curandum pro virili, ne nimium inficiant[ur], praesertim ab eis, qui hominis impatientiam irritarunt. Quisquis sit Lutherus, quousque tollatur a vobis, non invenio charitatis spiritum in ipso, nisi forte nesciam ego hunc spiritum. Eumne licet tradere malo daemioni, qui Iesum Christum salutem suam constituit? Tam autem agit omnia, quae persuadet sibi illi esse honorifica? Cavetque, quibus nomen eius ac virtus dehonestari minuique putat? Sed talem condemnat Lutherus tanquam Deus. Non Filio sed sibi iudicium dederit omne. An linguae tam immanis protervitas e spiritu charitatis esse potest? Si periiimus, cur non potius nos quaerit? Nondum eo usque devenimus, ut vae sit illud Christi adversum nos detonandum. Agnoscimus gratiam Dei, per quam itur in coelum, per Filium Dei ad nos esse delatam; huic adhaeremus, hac fidimus unice, spem nostram hac fulcimus. Quid aliud requirit iam iste? Ut credamus scilicet, verbis evangelicis quamvis detortis, imo falsificatis ab ipso, quod adinet ad sententiam. Hactenus contendit contra papam, panem coenae Domini panem esse, et vinum esse vinum; iam contra nos sub pane corpus esse Christi naturale, et sub vino sanguinem esse Christi verum et reale? Nunquid quod dicit haec expriment? Hoc est corpus meum. Hic est sanguis novi testamenti. Equidem vere dico, si verba per se sine tropo sunt intelligenda, multo facilius me papa, Cyrillus, Hylarius et siqui sunt alii eiusdem farinae in suam de transsubstantione pertrahent sententiam, quam Lutherus. Persuadeat idem valere, Hoc est corpus meum et sub hoc est corpus meum. Quis tam vaesanam temeritatem unquam expertus est? Non mirum si nos nostramque doctrinam contemnunt hominum filii, dum sic ludimus verbis dominicis. An non merito dicent de nobis, seductores esse, non evangelii doctores? In summa: superbus animus, quem petulans lingua in penultimo folio continere non potest, non sinit gratiam alteri revelatam, non sibi, praesertim primo, gratiam esse. Quocirca relinquendus est homo, dum spiritum Deus humiliorem dederit.

Otho vel tuo nomine fuit mihi commendatissimus. Si quid ego potuissem in rem eius. Placet mihi vir ille et a moribus et a doctrina. Fortiter se gessit in eo, cuius gratia Basileam concessit. Habuit qui se opponerent disputando satis feroces at nihil cessit usque dum contenti omnes, corona dignum ducerent. Spectaculum itaque novum dedit civitati nostrae, quod ut minimum literis reconciliavit quodammodo, quorum animi literis, hactenus non admodum aequi fuerunt. Sed et illud confirmavit, quod apud plerosque veritate caruit, universitatem restitutam. Faxit ergo Deus, ut quod coepit ipsi, vobis, nobis sit faustum, et felix. Tu, inquis, proximus eris. Ego? Ut parvus minor, contemptus contemptior fierem. Ingenue dico, amo te, et merito quidem, qui sic honori meo consultum velles, tum suggestum hunc primum doctoris nomine adornari. Quid vero dum honorem haberet suggestus sine re? Equidem non sum tam ineptus, ut omnia contemnam, quae mundus ad ornamentum hominis atque adeo ad emolumentum excogitavit, sed odio sum internecino prosequutus ferme titulos inanos. Ego doctoris titulum sine doctrina condigna vel peterem vel ferrem? Ego doctis omnibus ludibrio me exponerem? Multo plures invenio, qui titulos, quos gestant, abiicere vellent, si possent, quam accipere, si carerent, vel donatos. E quibus D. Grynaeus non postremus est. Equidem dum meo me pede dimetior, non esse malim quod sum, quam fieri quod esset me dehonestaturum. Non est igitur, ut hac de re cogitem. Utantur titulis, qui digni sunt nam tales et mihi placent, eosque colo et veneror ex animo; qui sunt indigni, faciant, ut quod Deus est largitus cum honestate retineant.

De turbis quid vis scribam? Putaram finem esse, cum de novo incipiant omnia. Per Dominum cavebitur, si bellum non ingruerit. Adeo Verulanus incitat, rem suppeditat; nihil omittit, quod putat sedem Romanam nutantem iam confirmaturum; iure Tigurinis prorsus contendendum. Nescitur, quae sit accusatio futura. Scripserunt nostris ut consulant; hi responderunt fieri non posse, nisi prius accusationem intelligant. Nescio quid futurum sit. Reddantur ab his papistae nostri, quique hactenus simularunt evangelium, tam protervi, ut facile cognoscamus, quidnam animi sit, si res ex voto reciderit Pagis. Turbulenta sunt omnia, quia sic volumus. Respuimus concordiam atque per hoc adversariis ansam damus in nos moliendi, quicquid fuerat libitum. Ego miseriam nostram deplorare possum, consilio amare non possum. Oro Deum, ut ecclesiam suam tueatur.

Vale cum tuis omnibus. Bucerum salutabis diligenter dicesque in libris eius ne literam quidem me vidisse, solum Bullingeri nomen. Fasculum enim postquam aperueram, ut eram iussus, an quid illic ad me, ubi nihil inveni, funiculum negligentissime circumdedi, atque dimisi ad Grynaeum. Non opus habet igitur cura, ne quid effundam ad ecclesiarum scandala, scandalorum satis est alioqui. Precor Dominum, ut auferat ea quam ocyssime. Vale iterum per Dominum Iesum. Basileae. XIX Martii anno XXXIII.

Os. Myconius tuus.